





A.61,45.

Kat. 1781.

1

DE

□ מ י צ ש ל ד  
SEV

N V N C I O P A C I S

AD IES. LII, 7.

P R A E F A T V S,

---

O R A T I O N V M S A C R A R V M ,

Q V A E V V L G O V O C A N T V R , C I R C U L A R I V M A R G V M E N T V M

DE

P A C E S P I R I T V A L I

P L . R E V . D O M . P A S T . E T D I A C . D I O E C . O S S I T . E C I R C . I N F .

A N . M D C C L X X I X .

P R O P O N I T

I O A N N E S C A R O L V S F R I D E R I C V S D E B R A V S E . S .

---

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L O E P E R I A





## VIRI

PLVRIMVM REVERENDI AT QVE DOCTISSIMI,  
CONFRIATRES IN CHRISTO DILECTISSIMI.



Si quas vnquam maxima cum voluptate Vobis exhibui tabulas, atque ex muneric ratione, Serenissimi Principis mandata aut sanctioris, qui rebus ecclesiae praeest, Senatus decreta Vobiscum communicauit, illae profecto erant, quibus nuperrime sollemnia ob pacem patriae redditam sacra peragenda indicere poteram. Quae in votis precibusque nostris huc & que argumentum insigne fuerat, quam tamen inter tantos belli apparatus multi nondum vix sperare audebant, redditia pax est, nec ita redditia, ut prius destructae fuerint

A 2

vrbes,

## IV

vrbes , multaeque vastatae regiones et prius illud Poetae ex-  
clamare coacti fuerimus :

— — Sat prata biberunt  
Sanguinis — —

sed ita , vt , cum neutra pars superata esset , nouo quodam  
atque illustri exemplo illud sapientissimi regis effatum confir-  
maretur , animos regum a Deo regi , corda principum esse in  
manu Dei Deumque illa , vt riulos aquarum , inclinare quo-  
cunque velit . Prov. XXI , 1.

## §. 2.

Nos semper annunciamus pacem , Carissimi Fratres ! Ie-  
sus praedicamus . Isque est pax nostra . Eph. II , 14 . Salu-  
tis , quem tradimus ordo , via pacis est Luc. I , 79 . Inter me-  
dios quoque belli rumores atque tumultus pacem peculio Chri-  
sti praedicauimus . Meministis tamen , cum sub huius anni  
initium , quo spemque metumque inter adhuc dubii haereba-  
mus , materia orationum sacrarum , quibus a circulo nomen  
datum est , Vobis suppeditanda esset , me textus Iesaianos mi-  
nis Dei plenos tristissimique argumenti dicta eligere , idque  
ea de causa , vt perterrefierent impii , quoram multi nec me-  
tu nec sensu iudiciorum Dei animis frangi possunt atque ad  
frugem reduci . Sed quamvis omni tempore , si vel ira dei in  
publicis calamitatibus conspicua adeo non sit , id fieri possit  
et debeat , vt minis legis terreamus securos peccatores , mu-  
to tamen , mutata rerum facie , institutum , suauiusque Vobis  
argumentum de PACE SPIRITALI tractandum propono .  
Secutus sum quodammodo aureum b. SPENERI libellum vom  
innerlichen und geistlichen Frieden praeferit Cap. II et III.  
ita vt priores , quos elegi , textus biblici de pace nostra cum  
Deo quae nititur satisfactione Christi fide apprehensa , reliqui  
de pace in Deo seu tranquillitate animi agant .

## §. 3.

## §. 3.

Cogitanti vero mihi, qua praeftatione vſus, id Vobis argumenti exhibere possim, praefertim cum prelo illud committere non alia de cauſa, quam vt inter ſcripta huius diceceſeos monumentum aliquod laetiffimae pacis, quae occaſionem ſcripti dedit, posteritatē poffit, commodum mihi viſum eſt, quod in mentem ſtatiū venit nobliffimum illud Iefaiæ dictiū Cap. LII, 7. breui ſcripto iſtillare. Ita autem habet:

מַה־כִּאָוֶעָל־ הַהְרִירֶת דְּגָלוֹ מַבְשֵׂר מִשְׁמִיעַ שְׁלֹזָה  
מַבְשֵׂר טֹוב מִשְׁמִיעַ יְשֻׁעָה אָמֵר אֶלְצִיוֹן מַלְךָ  
אַלְתָּחָן

## §. 4.

Variae ſunt, vt ſolet, interpretum in hoc explicando dicto ſententiae, quarum potiores quasdam recitabo. Sunt, qui ad tempus ſtatiū, quo vixit propheta, omne dicti argumentum reſtringant et ad magnum illum euentum, quo ab angelo Domini centum et octoginta quinque millia militum in caſtris Affyriis vna nocte percuſſa ſunt, reductis cum pudore regis et maxima cum conuulfione reliquis copiis, sancta vrbe obſeffione liberata, emiſſisque inde, qui laetiffimum hunc nuncium prouinciis Iudaicis afferret curſoribus, referendum eſſe opinentur, et ſi quid pluris concedunt, typus aliquis eſt aut tantum pia ad Apostolos IESV, qui euangeliū pacis terrarum orbi annunciarunt, accommodatio. Alii, inter quos Grotius principem facile locum obtinet, ad liberationem populi e captiuitate Babylonica allatumque ea de re genti nuncium omnia referunt, et praefertim Jeremiam prophetam, qui terminum exilii conſtituit illudque anno ſeptuagesimo, infallibili prophetiae ſpiritu actus, finiendum praedixit, hunc pacis nuncium eſſe declarant.

## A 3

## §. 5.

Vix attentionem merentur, si quid ego video, multo minus refutationem hae εργανεῖαι. Turbant ordinem totius libri Iesaiani. Sublimior est haec exclamatio, quam ut ad illud tantum quamvis illustre miraculum cladis Senharibi, aut ad liberationem Babyloniam possit restringi atque tam arctis limitibus concludi. Magna salus, miraculosa liberatio utroque in casu Iudeis accidit. Sed tantum Iudeis. Sed, nisi omnia me fallunt, si priorem tantum nuncium et celebranda propterea in gente sacra hoc encomio ornare propheta voluisse, rem statim suo loco suoque ordine Cap. nimirum XXXVIII. collocasset. Grotii, qua in exponendis prophetarum scriptis vtitur, notissima ratio est. Ut enim in capite sequente non seruum Dei Christum eiusque ad expianda hominum peccata suscepitos labores, sed Ieremiam miseramque eius in legatione sua prophetica conditionem inueniret, per insignem τετραλογίαν hunc statim locum ad illum referre conatur. Qui e recentioribus theologis vaticinia Iesiana scrutati sunt, Prophetam in hac pericopa longe aliud quid agere bene et recte viderunt. Auctae et nimis magnifica sunt locutiones, quam ut terrestri alicui, quamvis glorioissimae, liberationi soli competant. Si hanc tantum in mente habuerit diuinus vates, sufficere potuisset, quam suaves in monte pedes nuncii qui pacatam terram esse afferit! qui pacem redditam, esse nos certos reddit o bonum nuncium! exclamare. Cur opus addere qui salutem praedicat, qui Sioni dicit: Deus tuus regnat. Quorsum itiae multae immensique argumenti enunciationes, si res omnes terrestri aliquo licet insigni et prorsus memorabili beneficio comprehensa fuisset atque absoluta? Sunt profecto potius ex indole sacrarum literarum eiusmodi phrases, quae plenitudinem gratiae euangelicae copiamque et summam bonorum Christi redemtione partorum et non nisi εύλογη.

εὐλογίαν πνευματικὴν ἐν τοῖς επερεσίοις Eph. I, 3. inuoluunt atque inferunt.

§. 6.

Quae cum bene se habeant et luce clariora sint, maxima dicti difficultas non in verbis et nuncii summa atque argumen-  
to, sed in tempore, ad quod pertinet, et quando gentibus  
allatus sit aut afferri debeat ille nuncius? haerebit. Quia sim-  
ilaris est **מִבְשָׁר מַשְׁמִיעַ** multi eam amplectuntur sententiam,  
Christum ipsum, prophetam illum magnum, illum quoque esse,  
qui hic celebretur, pacis nuncium, nec opus est hoc aliosue,  
qui alias sequuntur interpretandi rationes viros nominare, cum  
doctis satis atque abunde constent. Sed quod ad hoc argumen-  
ti genus attinet, verissimum quidem est, Christum ut maxi-  
mum gentis sua doctorem ita etiam absolutissimum pacis praec-  
conem in Palæstina fuisse, qui pauperibus spiritu fessisque at-  
que laborantibus animis iustitiam pariter ac pacem et requiem  
mentis in se acquirendam promisit et obtulit. Is erat, quem  
ut loquentem audiret pacemque afferentem dudum optauerat  
ecclesia Israelitica Ps. LXXXV, 9. cui loco cum versu nostra  
verba praecedente aliqua intercedere videtur similitudo: Ego  
ille loquens! Ecce me! Audierant nimirum inter fulmina at-  
que tonitrua terraeque motum, cum lex promulgaretur in  
monte Sinai vocem Dei ex igne et quae tunc senserant, ita  
exponunt. Manifestauit nobis Deus noster gloriam suam et  
vocem eius audiuiimus ex igne. Hodie comperimus fieri posse,  
ut Deus loquatur hominibus et viui reliquantur. Deuteroni. V. 21.  
Sed μεσητης ιερείτονος ιαθηκης suavi prorsus ore veritatem, gra-  
tiam et pacem praedicabat et vnuquisque gratiam, quae ore  
eius exiit, miratus est. Ps. XLV, 3. Luc. IV, 22. Haec omnia ut  
vera ita etiam notissima sunt. Quicquid tamen eius sit, e singu-  
lari tantum numero, quod Christus hic pacis praeco sit, in-  
ferri nequit, cum enallage in hoc genere frequentissima sit,  
saepi-

saepiusque unus pro collecta multitudine plurium, vnum idemque negotium perficientium ponatur, praesertim cum Apostolus Rom. X, 15. non de uno, sed pluribus Christi legatis, hoc vaticinium applicet, quibus vestigiis merito insistentes non de uno aliquo insigni sed de pluribus veritatis euangelicae testibus illud intelligimus.

## §. 7.

Propius itaque ad rem accedunt, scripturam ducem et veritatem comitem habent, qui de Apostolis, illorumque exitu in omnem terrarum orbeh, haec verba interpretantur. E Sione effulsi pulcher ille Dei splendor. Ps. L, 3. Hierosolymis coepit praedicari salutaris mentis mutatio quae veniam criminum impetrat in nomine Iesu Christi Luc. XXIV, 47. Non poterant non suauissimi esse preeones, qui salutem offerebant, qui nuncium de restituta per Christum re humana, de redditu hominibus gloria, pace et prosperitate sempiterna afferebant. Ipse hanc suae doctrinae summam in vnum quasi pacis caput colligit atque ad conscientiam nationis prouocat Apostolus: Nostis, inquit, preeicationem, quam misit filii Israel Deus. Et quodnam erat eius doctrinae argumentum? annunciarci iussit, uno verbo, PACEM per IESVM Christum. Act. X, 36. Et cum Sion tropice ecclesia saepe sit, nostra quoque doctrinae, quam ex diuinis oraculis haurimus, et quae proprium nostrum opus est, lege terrere alienum, nulla summa alia quam pax potest esse, et huc usque, quae Dei gratia est, quotquot vocantur ministri ecclesiae emittuntur NVNCII PACIS.

## §. 8.

Haec tamen omnia, quamvis scripturae et fidei analogia atque in se verasint, argumentum tamen textus prophetici non plane

plane exhauriunt. Sunt igitur etiam, qui de futura adhuc aliqua missione legatorum pacis diuinæ sub initium florentissimi Ecclesiae status hunc locum propheticum exponunt, et multa atque acuta sunt, quae ea de re disputant, quae vero huius loci non sunt. Sufficiat et liceat mihi in his nunciis morari, et quae ego de illis sentiam, modeste exponere. Aptum videtur rem, ut textus materiam suppeditat, ordine quodam commemorare. Tangam vero hac vice tantum potiora momenta, vberiorem disquisitionem, simili occasione, si Deus voruerit, seruans. Ad quatuor autem capita ea, quae iam differere possum, reuocabo, ut primo de occasione qua emittentur hi nunciī locoque, quo exibunt, disputem, deinde de illorum personis et donis dicam, posthaec summam illorum doctrinae exponam, denique de illorum instituto et sorte pauca quaedam sed necessaria addam.

## §. 9.

Ante vero omnia haec quoque moneo, nostram receptae non contrariari sententiae, sed negotium quod geritur, tantum in suo ambitu complexuque declarare. Is enim scripturæ mos est, ut, quod Apostolorum tempore coepit est, post multa deinde secula, inter varias rerum vicissitudines, consummandum regni Dei mysterium uno nobis quasi intuitu contemplandum sistat, multasque eiusmodi repraesentationes, quae notam et characterem diuinæ reuelationis in hoc ipso artificio complexu, nulli humano ingenio imitabili, habent et præ se ferunt, non differre aliter nisi ut initium atque *ἀποτελσμα* vnius eiusdemque diuini operis, ut dies unus est, quo sol oritur et deinde progreditur totum splendore suo fulget, omnemque meridie calorem diffundit. Quod si enim haec iam, Salomone docente, viae piorum conditio est, multo magis operis huius Dei, quo maius atque augustinus praetermissionem filii ipsam nullum datur. Prov. IV, 18.

B

§. 10.

Occasio itaque, qua emittentur hi suaves nouique praecones pacis, motus illi Hierosolymitani erunt, πλησια illud temporis, quo primum ciues Hierosolymitani Iudea ex gente oriundi, velamine Mosis a facie illorum remoto, regem suum Dauidem non quaerent, sed iam inuenientur. Rom. XI. Sach. XII. Ier. XXXIII. vt permulta alia scripturae capita hoc loco taceam. Collocanda itaque est haec emissio Cap. XI. et XIX Apocal. quod prius caput hoc vnicō discrimine laborat, quod vnicū in toto libro sit, vbi ordo visionis, secundum seriem rerum gestarum in euentu, turbatus esse videtur, retamen vera interruptus non est, quia res in Oriente gestae, seu, vt rectius dicam gerendae, hic narrantur, ideoque spiritui prophetiae visum fuit commodum magnum et felicissimum illarum exitum statim addere sortemque et casus ecclesiae in Occidente non interrupto tunc ordine quoque enarrare. Haec vero rerum series est: Propter ἐλεγχον mundo satis molestum suppicio afficiuntur plebētūnque capite duumuiri, prophetae illi singulares, missisque ad se inuicem donis de suppicio mortis illorum sibi gratulantur ciues, sed in vitam per Dei miraculum reduces, coelum illos excipit, videntibus id illorum inimicis. Magnus terrae motus accidit. Septima pars incolarum virbis perit. Reliqui respescunt, Deumque reuerentur. Hic illam Spiritus Sancti effusionem donorumque insignium quibus in primis hi nunci ad subeundam legationis suae prouinciam augentur atque ornantur, collationem, cuius Scharias Cap. XII, 10. quocunque demum modo illa contingat, collocanda videtur esse, quam excipiet planctus ille et luctus de Christo a gente olim occiso, restituto iam tribuum et familiarum per Dei reuelationem discriminē.

## §. 11.

Hi itaque nuncii, qui sine dubio iam antea doctrinae propheticæ alumni, duorumque illorum testium discipuli extiterant, donorum mensuram illi, quae illis contigit, fere parem, ut olim Spiritus Eliae super discipulo Elisa requieuit, accipient, hi, inquam, exequunt mandatoque legationis suae munere perfunguntur. Delentur interea simul aduersarii IESV Christi regnumque fit Dei atque Vncti Eius. Hoc est quod dicitur, quod dicendum sit Sioni: Regnat Deus tuus, de quo infra. Noua itaque oeconomia in maiori gratiae mensura insignibusque aliis praे nostra aetate omnibusque seculis, quae praecesserunt, praerogatiis conspicua, pace quoque terrestri nobilis et grata oritur.

## §. 12.

Progradior. *Locus*, vnde exhibunt, celebris et sancta illa vrbs est, calcata hoc vsque a gentibus. Montium meminit diuinus vates<sup>1</sup>, super quibus iucundi euangelistarum pedes. Id non de omnis regionis, quo peruenient, situ, sed de illius terrae tractu, quo primum exierunt, dictum est, atque illi praesertim conuenit, quo Hierosolyma sita fuit, quam montes multi cingunt. Ps. CXXV, 2. Montes enim hos pro magnis populis aut eminentibus regum personis, ad regnum Christi adducendis, accipere durior expositio est, nec necessitas vrget a litera recedere propriamque vocum potestatem deserere. Facit potius hoc quoque momentum ad characterem huius missionis constituendum certisque signis definendum. Quemadmodum enim euangelii splendor e Sione primum ortus est, ita denuo inde oriundus praedicitur. Ies. II, 3. Ps. L, 3. Luc. XXIV, 47. Act. I, 4.

## B 2

## §. 13.

Iam de *personis* horum illustrium virorum quaeritur. Dixi iam, et verosimillimum est, illos in scholis duorum testium IESV omni sancta doctrina imbutos, deinde collatione donorum Spiritus S. denuo mirifice auctos obeundaeque legationi pares atque maturos factos esse, et si ex illa donorum Spiritus impertitione θεοπνευστας dicere non audeamus, numque facultas miracula edendi ipsis quoque concedetur? suo loco relinquimus, insignes tamen prae caeteris et qui ad Apostolorum consortium proxime accedunt, censendos esse ex ipsa prouinciae ipsis demandatae ratione colligitur. Sunt igitur egregii quidam e gente Iudaica singularibus gratiae atque scientiae donis instruti viri, extra ordinem missi, diuinae ad homines voluntatis interpretes, Euangelii praecones, qui post primos illos Hierosolymitanos terrae pariter atque animorum motus, coepitum hoc Dei opus non in διασπορᾳ Iudeorum solum promoverebunt, sed etiam nouum maiusque cognitionis Dei lumen inter christianas, quibus degunt Iudei, gentes diffundent, quin etiam populis a Dei cognitione plane alienis amplectendae verae religionis cognoscendique et colendi in Christo Dei autores erunt.

*Doctrinae vero summa* alia non esse potest quam ea, quae iam sunt fidei nostrae prima capita, quae nec angelus de coelo quidem mutilare aut immutare debet, nisi ἀναθεψα esse cupiat. Gal. I, 8. Euangelium de IESV. נָשׁוּב. Hoc verbum tantum de boni nuncii allatione accipitur, nisi quis excipere velit locum 1 Sam. IV, 17. vbi tamen verba: tunc respondit nuncius, (qui cladem Israelis referebat) et dixit etc. ita quoque reddi possent: tum respondit (is nimirum, qui ex castris missus erat,) num bonus ego nuncius? Minime. Israel fugit. rel Pax, bonum,

bonum, salus, regnare Deum, haec sunt quatuor praestantissima nuncii momenta, uno tamen verbo, **BONA EVANGELICA**, quae sunt in Christo IESV. Epist. ad Philem. v. 6. Iustitia salus est, fructusque iustitiae pax et tranquillitas animi sub rege optimo qui  $\zeta\omegaν$  et  $\pi\varepsilonιστον$  largitur subditis suis, imperienda. Non igitur noua doctrina, sed noua excusis errorum tenebris, hominum institutio, lux maior, ampliora dona, purgata sacra, restitutus veri Dei cultus, sublata idolelatria, profligatae haereses, Dominus, ut non nisi unus, ita quoque nomen Eius tantum unicum in terrarum orbem, fides una, confessio una —. Sach. XIV, 9. Hoc igitur horum praecorum institutum erit  $\acute{ε}ναγγελισαθαι$ , annunciare pacem, docere populum suum,  $\muαθητευειν$  gentes, constitutre doctores. Hinc etiam non os sed pedes euangelizantium commemorantur. Quae quidem ebraea phrasis praesertim dexteritatem aliquam, qua quis negotia sibi commissa perficit, connotat, hic vero ad hoc praesertim momentum respicitur, quod hi legati non in uno loco ministerio fungi debeant, sed de loco in locum migraturi sint. Praeter id autem, quod ratione doctrinae euangelicae cum aliis eius ministris commune habent, hoc eorum praecipuum est, quod rem eo perductam esse afferere possunt: **REGNARE IAM DEVUM.**

## §. 15.

Non vero *fata* illorum nunciorum, de quibus 2 Chronic. XXX, 6. sqq. legitur, quod, cum pius Iudeae rex Hiskias ad celebrandum Pascha colendumque denuo Deum verum, tribus Israelis inuitasset, plurimos illos ludibrio irrisuque habuerint, paucis quibusdam ad sollennia sacra se accingentibus, hos manebunt. Praeparati iam erunt animi terrae motu aliisque miraculis. Hora Dei, quam suae seruauit potestati, venit. Honore et reverentia excipient emissos ad se doctores gentes, et quae iam omni humano conatu perfici nequeunt, prosperrime

B 3

cedent.

cedent. Magnus tempore Ioannis Baptistae animorum motus atque insignis gratiae excitatio extitit, sed maiori tunc cura homines coelorum regno vim inferent, hac quidem, quae Deo gratissima est, vi illud ad se rapientes. Matth. XI, 12. neque transiens, et cui, vt tunc temporis, multum impuritatis admixtum erat, feroꝝ, sed, vt abundans, ita et μενσα χαρις erit. Iucundos fore pedes euangelizantis propheta afferit. Voluptatem itaque ex hac doctrina percipient auditores, gustumque eius retinebunt. ηνδι enim non ad doctrinæ argumentum tantum resero, quod profecto suauissimum est, Ps. CXLI, 6. sed quoque ad alacritatem, qua illam eiusque doctores amplectentur atque ad voluptatem inde percipiendam spectat. Non ignis, crux, ferrum vt primos veritatis testes, sed amor, honos, obsequium hos inter gentes manebunt.

## §. 16.

Sed tria obiici possunt, ad quae respondebo.

1) Deseri hic interpretationem Apostoli Rom. X, 15 qui de Apostolis hoc dictum allegat, nouamque praeter scripturam ἐπιλυσιν adhiberi. Hoc vero est, quod nego. Non nova atque ab explicatione Apostoli aberrans expositio, sed plenior atque vberior eiusdem declaratio est. Paulus tantum ex hoc dicto Iesaiæ id inferre vult, mittendis nunciis opus esse, qui proponerent veritates euangelii si iudei ad fidem essent perducendi v. 14. Hoc quoque Apostolorum ministerio iamiam factum esse, quamuis paucissima nationis pars euangelio obtemperauerit, fore autem, vt postremo tempore veritatem amplectantur. Mirandum est hoc Vitrinam, qui tamen suo tempore plus caeteris vidit, plane sicco pede praeteriisse, et communem prorsus sententiam sectatum esse, cum tamen e contextu ea, quam proposui, Apostoli sententia facile elici posset. Interpretatus autem est haec verba eum in modum et de legis

legatis adhuc mittendis futuroque euangelii inter gentes p<sup>r</sup>aeconio b. crvsi v in Hypomnem. ad theol. prophet. P. III, p. 457 vrgetque praesertim contextum (a cap XL et proprius a Cap. I, 4.). Non opus quidem est, inquit, dicere hoc dictum duntaxat a Paulo accommodari ad rem (monui enim iam ἀποτελεσμα operis simul tangi et Apostolorum ministerio rem ipsam, opus hoc ipsum coeptum esse); Sed tamen hoc certum est, non esse illud restringendum ad prima ecclesiae tempora. Contextus docet, PRAECONES FVTVR TEMPO-  
RIS POTISSIMVM NOTARI. Sed et illi p<sup>r</sup>aeconium suum ex scriptis Apostolorum desumunt, qui primi nunciarunt το εὐαγγιλεον τῆς Βασιλειας τε Θεος etc. Hoc quoque, quod allegationem Paulinam attinet, addo, haec verba iam cum Cap. XI. quod mysterium conuertendi Israelis continet, arctissimo nexu cohaerere atque a caecitate ad illuminationem salutemque inde totius gentis sperandam transitum aliquem fieri, eo modo: caecitas huc usque obtigit Israeli, tua culpa, repudiarunt euangelii nuncios, venient suo tempore alii, hos audi-ent et saluabuntur. Progenies melior, conditio felicior.

## §. 17.

Sed nimis multa, haec *altera obie<sup>c</sup>tio* esse possit, hic supponuntur. Iudeorum conuersio, noua regni Christi gloria, melior rerum ecclesiasticarum status. Si haec euicta essent atque certa, de hac quoque legatorum missione constare possit. Nominant hoc nonnulli adeo hypothesin Iudaicam, miranturque illam quosdam ex nostris doctoribus admittere, vt, ubi recepta in systematibus opinione, reliqui mundi finem expectant, ibi prius, nouam incomparabilis gloriae et prolixae durationis ecclesiam, conuertendos ad Christum Iudeos atque in Palaestinam reducendos, reaedificationem Hierosolymorum et conuertendas ad Christum omnes Orientis nationes statu-

statuant. Qui inter hos acqiores Iudices sunt v. c. Varenius ad h. l. non absurdos hos fore, inquit, interpretes, si prius ex certis sedibus legitimassent suas hypotheses. Id quoque huic sententiae obiici possit. Sed ea lux iam nostra aetate theologiae propheticae affusa est, et tam multa scripturae dicta, quae haec singula probare, et secundum omnem rigorem exegeticum probare statuo, proferri possunt, uti euidentissimae veritates factae esse videantur, quibus praestantissimi quidam theologi subscripterunt, quae antea hypotheses fuerant. Quod si igitur futurum est, ut perficiatur mysterium illud Dei, quod, ut exoptabilem latissimumque nuncium, seruis suis reuelauit, recte rationes ita colligimus, Deum etiam singulari quodam hominum ministerio ad mysterium hoc, si adimpletum fuerit, patefaciendum, versusrum esse. Is enim Dei inde ab antiquissimis temporibus mos fuit, prophetas et legatos suos et suae et caeteris gentibus mittere, si magnum aliquod in ecclesia opus gestum aut gerendum sit, hominesque ea occasione verbi sui scripti denuo commonefacere, ne illud negotium impediatur, sed opus suum esse nouerint et credant. Hunc morem tempore quoque N. T. retinuit et retinebit, cuius rei historia purgatorum per Lutherum sacrorum tresque illi angeli Apoc. XIV. exemplum possunt esse atque documentum.

## §. 18.

Denique hoc quoque forte obiici possit, destitui tamen textum ipsum momento, quod hanc interpretationem de futuris adhuc praeconibus euangeli in Iudaica aliisque gentibus suadeat. Non igitur textu natam sed illi illatam sententiam esse. De hoc quoque dispiciemus. Verum est, illa quae hic recensentur doctrinae capita, argumentum doctrinae *νύιαι νοντων λογων* omni tempore fuisse. Pax, bonum in Christo et salus praedicatur et praedicabitur usque ad finem seculi: cur opus hoc

hoc dictum ut adhuc implendum, proponere? Sed non e doctrina sed ex scopo et contextu hos praecones pacis futuros atque expectandos esse statuimus. Firmatur autem assertum ipsius quoque, si curatius inspicitur, textus argumento. Habent nuncii pacis hoc in primis in commissis, ut Sioni dicant regnare Deum eius. Haec formula quasi solennis et saepe epiphonema propheticum est, quo iam Canticum Mosis finitur Ex. XV, 18. et quod in Psalmis et prophetarum scriptis saepissime legitur, Apocalypsi, ad quae tempora haec spectent, monstrante nempe quando post insignem rerum catastrophen XI, 15. XII, 10. XIX, 6. quando Deus Sion aedificabit suaque in gloria apparebit Ps. CII, 17. consummabit mysterium suum, quod mysterium ἐνσημωσεως atque euangelii in genere esse nequit, quod dudum patefactum est, sed mysterium regni Dei ubique gentium promouendi, illud idem itaque, quod Rom. XI, 25. celebratur mysterium. Tunc palam fit regnare Deum. Ioannes et Christus ipse ἡγγυης βασιλεια των ρωμων praedicabant Matth. III, 3. Marc. I, 14. 15. Apostoli regnum Dei ad gentes venisse testabantur. Eiusmodi vero loquendi modis de illa prima regni manifestatione nec prophetae vni sunt nec Apostoli. Quamuis enim doctrina euangelii longe lateque spargetur et sublata idolatria et daemonum cultu gentes Christo nomina darent, et Christiani, quamvis hesterni quasi essent, tamen omnia implerent, is tamen ecclesiae flos atque splendor, qui in prophetis verbis tam magnificis asseritur, de iis temporibus vix praedicari potest, ubi mox persecutio saeuit, mox haereses inualuerunt, ecclesiaeque, quippe quae a puritate sua nimis mature recessit et varias in sectas diuisa est, maxima orbis terrarum parte in tenebris ignorantiae et vitiorum sedente, facies satis saepe deformis appetit. Quamuis enim reuera semper regnauerit Christus, regnauit tamen inter hostes. Ea vero loquendi ratione, regnat Deus tuus, ut iam

C

ex

XVIII

ex allatis dictis clarum est, non regimen Vncti Dei in genere; quod nemo nisi plane impius et profanus sit, in dubium vocat, sed regnum, quod deletis tribus illis maximis aduersariis, quorum Apoc. XIX et XX. mentio fit, capesset, innuitur. Cum vero rem prius gestam esse oporteat, quam rei nuncius afferri possit, illa vero regni Christi facies huc usque nondum apparuerit, ex hoc quoque consequi putamus, hos praecones, qui una cum doctrina euangelii, qua omni tempore instituuntur homines, hos quoque laetissimos euentus, *regnare iam Christum*, enarrare debent, adhuc esse futuros.

Quae quamuis ita sint, illa ipsa ramen pax iamiam doctrinae nostrae argumentum est, humanī generis per φιλαθεωπιαν Dei in integrum quasi restitutio, per Christi mortem parta per que Eius resurrectionem firmata salus, bonum in IESV summum, redditia pax cum Deo, ζωη και αφθαρσια δι έναγγελια, 2 Tim. I, 10. tranquillitas animi atque aeterna, si constanter credimus, felicitas.

Agite itaque, Confratres aestumatissimi! textusque sacros de pace cum Deo pariter atque in Deo agentes accipiatis. Suavia erunt labia vestra in aede quoque Ossiensis, suaves pedes vestri super suggestu! Agite et redditia pace terrestri, numeri pacis nobilioris sitis, atque de eo gratissimo arguento hoc ordine dicatis, ut mox pacis acquisitionem, mox applicationem, mox pacem cum Deo, mox inde fluentem mentis requiem exponatis.

Plur.

- Plur. rev. Dom. M. RICHTER, Paſt. Subſt. Calbitz. Eph. II, 14-17. d. 4. Iun.  
 M. DACHSELT, Paſt. Collm. Ief. LII, 7. d. 11. Iun.  
 M. STARCKE, Paſt. Lupp. Rom. V, 7. d. 18. Iun.  
 BOSSE, Paſt. Börl. Rom. XIV, 17. 19. d. 9. Jul.  
 M. LOSSIUS, Paſt. Schmannew. Ebr. XII, 14. 15. d. 23. Jul.  
 M. FLECK, Diac. Dahl. Ps. CXIX, 165. d. 30. Jul.  
 M. HOFFMANN, Paſt. Buch. Phil. IV, 7. d. 6. Aug.  
 M. STELZNER, Paſt. Lauf. Matth. X, 5. 6. d. 13. Aug.  
 M. MEISE, Paſt. Cavert. Gal. VI, 15. 16. d. 20. Aug.  
 EXNER, Paſt. Lauf. Io. XIV, 27. d. 27. Aug.  
 M. SIMON, Paſt. Schirmenitz. Io. XVI, 33. d. 3. Septbr.  
 M. SEIDEL, Diac. Strehl. Ps. XLII, 12. d. 10. Septbr.  
 M. LEHMANN, Paſt. Gröb. Ebr. XIII, 11. d. 17. Septbr.  
 M. LÖ E L, Paſt. Canitz. Matth. XI, 28-30. d. 24. Septbr.  
 M. WILISCH, Paſt. Born. I. Theff. V, 23. 24. d. 8 Okt.  
 M. ROTTMANN, Paſt. Terpitz. Ef. XXXII, 17. 18. d. 15 Oktbr.

Deus vero Vobis ad id quoque negotii gratiam et vires largiatur concedatque prouentum labiorum, quae dicant: Pax! Pax! Ief. LVII, 19. Ipsi Deo pacis sit laus, et gloria in omne tempus et infinitam aeternitatem Amen! Srib. Offitii Kal. Iun. MDCCLXXIX.





KD 3878 GK

W.C.



**ULB Halle**  
007 238 665

3



VP78






1.61,45.

Kest 1.781

1

B.I.G.



D E

מ ש מ י ג

SEV

I O P A C I S

AD IES. LII, 7.

A E F A T V S,

NVM SACRARVM,

TVR, CIRCULARIVM ARGUMENTVM

D E

S P I R I T V A L I

T DIAC. DIOEC. OSSIT. E CIRC. INF.

J. MDCCCLXXIX.

O P O N I T

V S FRIDERICVS DE BRAVSE. S.

L I P S I A E

I C I N A L O E P E R I A